IN

DISSERTATIONEM

NUPER EDITAM

De MEDICORUM apud veteres Romanos degentium conditione

ANIMADVERSIO

BREVIS.

Εισί τινες, οι τέχνην πέποιηνται, το τας τέχνας αισχροποιεῖν· ως μὲν ἴουντας, ἡ τοῦτο διαπρησσόμενοι, ὃ ἐγὼ λέγω. ἀλλ' ἱστορίης οικείης ἐπίδειξιν ποιεύμενοι·

HIPPOCRATES.

LONDINI,

Impensis J. NOON, ad Insignia Albi Cervi *Cheapside.* 1727.

MVSEVM
BRITAN
NICVM

IN

DISSERTATIONEM

NUPER EDITAM

De MEDICORUM *apud veteres Romanos degentium conditione Animadverſio.*

SI, quemadmodum perſuadere nobis nuper voluit auctor valdè eruditus Middletonus, non honeſtis atque liberaliter inſtitutis, ſed omnino abjectis ſordidiſq; atque extremæ ſortis hominibus concredita fuerit à veteribus Romanis valetudinis atque ſalutis ſuæ cura; certè non tam ob eam cauſam artis ipſius medendi dignitas,

quàm inſipiens iſtud hominum ſeculum defenſione aliquâ videretur egere. Etenim exiſtimaviſſe eos, provinciam iſtam tam arduam æquè à vilibus mancipiis, atque à ſapientibus viris liberalis omnis doctrinæ ſtudiis excultis, adminiſtrari poſſe; id quidem inſcientiæ fuiſſet maximæ: At commiſiſſe parùm idoneis hominibus rei tam pretioſæ curam, quàm eſt ſanitas atq; bona valetudo; id verò multò majoris fuiſſet atq; extremæ dementiæ. Itaque *artis medicæ* parùm periclitatur exiſtimatio, qualecunque tandem fuerit Romanorum de hâc re judicium: Sed omnino diſpicere convenit quàm firmis argumentis iſtorum opinio nitatur, qui eam abſurditatem *Romanis* aſcripſerint; priuſquam homines graviſſimos tantæ incogitantiæ inſimulemus. Quibus igitur rationibus ſententiam eam confirmet Middletonus noſter in diſſertatione de medicorum apud veteres Romanos degentium conditione contra viros celeberrimos *Sponium* & *Meadium* nuper editâ, deinceps inqui-

inquiremus : Scilicet, ut ab illo tractata res eſt, non illepidam ſanè fabulam nobis dediſſe videtur. quam quidem æquum eſt ut ab ipſo auctore accipiatis.

Illum igitur audite : —— (*a*) " Ar-
" tem medicam, ait ille, apud veteres
" Romanos non ſolum minus excultam,
" ſed *nę cognitam* quidem eſſe, ſuſpicari
" fas eſt : Etenim ejus *nulla* fere, ne-
" que à Juris priſci conditoribus, neque
" ab Hiſtoricis antiquis *facta eſt mentio* :
" Quum enim vixdum ægrotarent ho-
" mines, (*b*) utique illi aureo ſeculo *pa-*
" *rùm neceſſaria* fuit ars medica. Dein-
" de *nobiles* Romani in ſua quiſque fa-
" milia (*c*) *medicinam facere* ſoliti ſunt.
" Plinius denique *ſinè medicis* uſque ad
" ſexcenteſſimum urbis annum Romanos
" vixiſſe ait : Sed à Dionyſio Halicarnaſ-

(*a*) Vid. Diſſertat. p. 5, & 6.

(*b*) Victûs tenuitas urbem & medicis & *morbis* ſimul *vacuam* ſervabat. Diſſ. p. 6.

(*c*) Θεραπεύειν καὶ διαιτᾶν τοὺς νοσοῦντας εἰκοι. Quod de frugi illo Catone narratur à Plutarcho in ejus vitâ.

" ſeo aliiſq; (*d*) ſcriptoribus antiquis, tum
" etiam alibi ab ipſo Plinio contrarium
" indicatur: Unde patet, *aliud dicere*
" *voluiſſe* Plinium: ſcilicet *Romanos*
" *ſinè medicis non vixiſſe; ſed medicos*
" *habuiſſe quidem, qui fuiſſent ſervilis*
" *atque ignobilis conditionis.* Et ex
" his omnibus patet, artem medicam a-
" pud vetuſtiſſimos Romanos (*e*) *nonniſi à*
" *ſervis atque extremæ ſortis hominibus*
" adminiſtratam fuiſſe." — Bellè ſanè pro-
cedit Fabula. pergamus porrò; nam &
alia Middletonus argumenta

Cogitat, & ſpecioſa dehinc Miracula promit.

" Quippe Plautus auctor eſt, officinas ali-
" quas (*f*) *vel Romæ, vel Thebis, vel*
" *Argis* extitiſſe, quæ *medicinæ* vocatæ

(*d*) Plautus in Rudente. Addere potuiſſet Ovidium in Metamorphos. l. 15. ver. 629.

(*e*) Diſſ. p. 7. l. 1.

(*f*) Diſſ. p. 7. — — Amphitryonis enim fabula, ex quâ petit hæc Middletonus, *Thebis* agitur;

Hæc urbs eſt *Thebæ*, in illiſce habitat ædibus
Amphitryon, natus *Argis* ex *Argo* patre.
Proleg. v. 97.

" ſunt;

" ſunt ; eaſq; non minùs conciliis cætibuſ-
" que otioſorum frequentatas fuiſſe, quàm
" vel ipſæ tonſtrinæ. Quinetiam apud
" Senecam legimus, *bonas res*, (*g*) veluti
" *artis medendi* aut gubernandi peritiam,
" etiam contemptiſſimis hominibus con-
" tingere. Confirmant autem auctores,
" unum aliquem, interdum duos pluréſve
" *Servos Medicos* in amplis divitum fa-
" miliis fuiſſe." (nempe qui conſervis
ægrotantibus, quorum magnus (*h*) perſæpe
numerus erat, nonnunquam etiam ipſis

(*g*) Diſſ. ibid. —— Fallitur, opinor, Middletonus quod de opibus loqui Senecam putat. V. locum apud Senec. Ep. 87.

(*h*) Jure namque ſcripſit *Seneca* ad paſcendam *ſervorum turbam*, tranſmarinarum regionum fuiſſe optandam fertilitatem. Plinius ipſe teſtatus eſt, in domos mancipiorum legiones, & turbam externam ita conjectam ; ut *Servorum causa nomenclator ipſi Domino haberetur eſſet.* Pervulgata ſunt illa : T. Minucio equiti Romano quadringentos ſervos fuiſſe : totidem —— Pudentillam Matronam provincialem ; —— C. Cæcilium, C. L. Iſidorum ſupra quatuor millia reliquiſſe, &c. —— *Pignor. edit. Scip. in præf.* Αλλὰ Ρωμαίων ἕκαστος πλείστους δούλους κεκτημένος ὀπάονας. καὶ γὰρ μυελοὺς, καὶ ἀμφιπόλους, καὶ ἔτι πλείονας ἢ παιδοτρόβους κέκτηνται. Athen. Deipn. vi. 20. His igitur curandis quando ægrotabant, fuit in divitum domibus valetudinarium de quo *Seneca* : Si intraſſem *valetudinarium aut domum divitis*, non idem imperaſſem omnibus per diverſa ægrotantibus. *De Ira.* i. 16.

forte

fortè Dominis *miniſtrarent.)* " Sed ne-
" que de his aliiſve Romanorum medi-
" cis, (*i*) neque de artis ipſius ſtudio,
" *multa ſcriptis mandata* apud illos
" auctores extare, quorum quidem libri
" ad noſtra tempora pervenerint. *Libe-*
" *ros* tamen homines nonnullos *medici-*
" *næ profeſſores* fuiſſe, utique non eſſe
" negandum ; ſed horum *humilem certè*
" *& abjectam* fuiſſe conditionem (*k*) :
" cùm enim ex Græcis plerique fuerint,
" *viliſſimos quoſque de fæce Romanorum*
" *Græcos homines ipſorúmq; eruditionem*
" *deſpicere ſolere* (*l*) conſtat".

Ergo negotium jam confectum eſt ; & argumentis his præclaris Medici tandem

---

(*i*) Vid. Diſſ. p. 8. —— Plinii teſtimonium ibi poſitum infra perpendimus, *&c.*

(*k*) Vid. Diſſ. p. 9. lin. 9.

(*l*) Cicero, cùm ex Græciâ rediens vitam umbratilem tranſigebat, minimè vulgo gratus fuit ; quin eum Græculum & otioſum appellaverunt, quæ verba, ait Plutarchus : *viliſſimus quiſque* Romanorum in ore habet. (Gr. Τὰ Ρωμαίων τοῖς βαναυσοτάτοις πρόχειρα ῥήματα.) Hoc igitur argumento, Græcorum, qui Romæ fuerunt, ignobilitatem probat Middletonus ; quod quàm inane ſit, non eſt neceſſe pluribus oſtendere. V. Cicer. pro Arch. Poet. 3.

uni-

universi serviles atque ignobiles judicati: Et causæ quidem demonstratio perbrevis hæc est: Fuisse *servos ignobilesque quosdam homines Medicos appellatos certis testimoniis est comprobatum.* (id quod nemo negavit unquam neque hodie negat.) *De cæteris autem Romanorum Medicis parum admodum scimus.* —— Ergo *Medicorum omnium servilem atque ignobilem conditionem tum fuisse*, patet. —— Quod erat demonstrandum.

His ita stabilitis, Medicinæ professoribus aliquid concedere tandem dignatur vir humanissimus: Illis enim omnibus a Julio Cæsare civitate donatis, " ad honores januam patefactam esse, & inde " Professionem iplorum *(m)* ex *ignobili* " statu ad *honestum* tandem, atque ex *te-* " *nebris* illis & *obscuritate* in *lucem* " paulatim & *splendorem* quendam eva- " sisse" narrat. Sed voluit certe, uti non deesset Fabulæ tam facetæ festivus

(m) Diss. p. 9.

Epilogus: Utique concluſionem iſtam ſuam de Medicorum ignobilitate vix ſatis firmam fore vidit, niſi ei aliunde accederet vis aliqua. aliam igitur novámque ſanè rationem inſtituit: Quanquam enim *omnes* ejus artis profeſſores civitate donatos fuiſſe, ex Suetonii verbis (*n*) manifeſtum eſt; eorum tamen *in illo ipſo luce & ſplendore ſervilem adhuc atque ignobilem eſſe conditionem*, vir optimus (*o*) oſtendit; Quo magis *aculeatum* adverſùs medicos argumentum nemo excogitavit unquam, opinor, neque in poſterum excogitaturus eſt: —— Etenim ſi hunc illorum *ſplendorem* obſcurum fuiſſe; quid *tenebras* iſtas olim extitiſſe demonſtrabit!

Jam verò Fabulæ exitum, ſive potiùs *Montis partum*, vos expectare ſat ſcio:

(*n*) In Julio c. 42. OMNES *medicinam* Romæ *profeſſos*, civitate donavit.

(*o*) "Florente jam, opibuſque affluente republicâ, *ignobilem eam*, SERVILEMQUE planè fuiſſe —— "Ad rem itaque *probandam* accedamus." *Diſſ.* p. 10. Nimirum è *ſex* argumentis, quibus deinceps ad probandum utitur Middletonus, omnino *quatuor ex ipſo Auguſti ſeculo petuntur*. V. Diſſ. p. 10. lin. 19, 22, 25. p. 11. l. 3.

Et editur tandem fætus tantis conatibus parùm reſpondens : *mus* eſt enim, omnium quos unquam vidi, *exiguiſſimus*. quippe, ut rem palam & apertè dicam, teſtimoniis his paucis ſententiam iſtam planè mirificam confirmat :—— (*p*) " Auctores " certi narrant, Domitium quendam Julii " Cæſaris tempore *ſervum* habuiſſe, *vel* " *Medicum vel Pharmacopolam* : Tum " Catoni minori *Libertum* fuiſſe, *vel me-* " *dicinæ profeſſorum, vel Chirurgum,* " nomine Cleanthem : Deinde Impera- " toris Auguſti *ſervum* quendam *Medici* " *nomine appellari* in quâdam illius ad " Agrippinam epiſtola : Præterea An- " tonium Muſam ipſius Auguſti *Medi-* " *cum,* aut *ſervum* (*q*) *aut certe cap-*

B 2 *tivum*

(*p*) Diſſ. p. 10, 11.

(*q*) Hunc enim aliqui, nec ſinè ratione, unà cum Euphorbo fratre ſuo, Jubæ Regis Mauritaniæ Medico, bello Africano *captum* eſſe credunt ; cùm ipſe etiam Juba omniſque ejus familia in Cæſaris manus incideruntejuſque clementiam experti ſunt. (V. Scriptores de Bell. African. Plin. Lib. v. §. 1. Lib. xxxv. §. 38.) Unde non adeò mirum erit, Muſam tantis honoribus auctum eſſe. Sanè Captivi alio modo fuerunt olim tractati, atque cæteri ſervi.

Plaut.

" *ticum* primùm fuiſſe; inde ad liberta-
" tem, & ad magnos tandem honores
" perveniſſe: Poſtremò hominem illum
" vafrum Alfenum Varum, qui ex ſutore
" Juriſconſultus fuit; de *Medico aliquo*
" *liberto* cujus etiam *liberti Medici* fue-
" rint, *ſpeciem* ſive quæſtionem quan-
" dam in ſuis digeſtis propoſuiſſe: Quid?
" quòd in monumentorum veterum In-
" ſcriptionibus, quæ nunc extant, *Li-*
" *berti ſervique*, tum *Medici*, tum *Chi-*
" *rurgi* memorantur": Quibus ex ar-
gumentis hoc certiſſimè colligitur: ſci-
licet *Medicinæ Profeſſores* etiam ipſo
Auguſti ſeculo, hoc eſt, poſtquam erant
omnes civitate donati, *ſervilis* & igno-
bilis conditionis fuiſſe. —En Epilogum tali
certè Fabulâ dignum! Quales interim
eſſe debeant iſtæ rationes, ex quibus
hæc tam abſurda naſcitur concluſio, vo-
ſmet ipſi cogitare poteſtis.

Plaut. in Captivis: Pergin' *Servum* me exprobrare eſſe, id quod *vi bellî* obtigit? Item Cic. Philip. VIII. 11. Diutiùs ſervitutem perpeſſi ſumus, quam *Captivi* (non *Servi*, ut habet Middleton. p. 20.) frugi & diligentes *ſolent*.

Diſ-

Dissertationis igitur literatissimæ summam exposui; quippe in *aliorum opinionibus refutandis* reliqua (r) Middletoni chartula consumitur. Nos autem de *aliis* hîc minimè soliciti, *quâ ratione suam ipse tueatur sententiam*, potiùs inquirimus: Itaque ab argumentatione istâ ante hunc diem inauditâ, quid omnino effectum sit, jam seriò reputemus.

Utique apud Romanos fuisse *Medicos* aliquos *Servos*, ostensum est: Quis negat? Sed adeone id magnum? cùm *apud Græcos* etiam, *Servos atque ignobiles fuisse Medicos* (s) eâdem operâ docere potuisset; neque apud Græcos modò; sed apud omnes fortasse gentes, ubi tantus est-

(r) V. p. 12. & inde ad finem Diss.

(s) V. Laert. in vitâ Diogen. §. 30. p. 330. Καὶ ὃς ἰατρὸς ἐι δοῦλος ἔιη, πεσθῆναι δεῖν αὐτῷ· & postea: Εἰ ὃ ἰατρὸν ἐπεῖν, κ. τ. ε. Idem alibi παλαιοῖς ἰατρίνοις memorat. Xenophon. Commentar. L. 1. αὐλοὶ τε γε αὐλῶν ὀρυχάς τε καὶ τείχας καὶ τύλους ἀφαιρῶνται, καὶ ταῖς ἰατρικαῖς παρέχουσι . . . . . ἀπαλέμενον. κ. τ. λ. Phœnicid. λαμβάνω ἄλλον τινα (ἐρεσθαι, δηλονότι) ἰατρόν· ὅστις ἐκπλύνων πολλοὺς τινας, ἔπειτ' ἔνεγκε, ἐμὰς πλαγὰς ἢν καὶ δάμιος. V. etiam infrà ex Platone.

set

ſet (*t*) mancipiorum numerus: Verùm quantæ temeritatis eſſet inde concludere, *Servilem aut ignobilem apud Græcos fuiſſe Medicinæ profeſſionem?* Audite Platonem, qui in libro quem de legibus inſcripſit, hanc rem ſatis aperte declarat: (*u*) " Nonne dicimus, ait, quoſdam " *Medicos* eſſe, & quoſdam *Medicorum* " *Miniſtros*, *QUOS ETIAM MEDICOS APPELLAMUS?*" Et paulò poſtea: " Nonne igitur intel-

---

(*t*) Sic hodie in inſulis Americæ *Æthiopes Servi Medici*, ſive potiùs *Chirurgi* ſunt: tamen alii ſunt *Dominorum Medici* honeſtiones.

(*u*) IV. De Legibus, p. 720. ed. Serran. Εισί που τινὲς ἰαλροὶ, φαμὲν, καὶ τινες ὑπηρέται τῶν ἰαλρῶν· ἰατροὺς δὲ καλοῦμεν δή που καὶ τούλους· . . . . . θείης ἂν ταῦλα δύο γένη ϑῆ καλυμένων ἰαλρῶν· . . . . . Ἆρ' οὖν καὶ ξυννοεῖς ὅτι δούλων καὶ ἐλευθέρων ὅλων ϑῆ καμνόντων ἐν ταῖς πόλεσι, τοὺς μὲν δούλους σχεδόν τι οἱ δοῦλοι τὰ πολλὰ ἰαλρεύουσι περιερχόμενοι, καὶ ἐν τοῖς ἰατρείοις περιμένοντες· καὶ οὔτε τινὰ λόγον ἑκάστου πέρι νοσήματος ἑκάστου ϑῆ οἰκετῶν οὐδεὶς ϑῆ τοιούτων ἰατρῶν δίδωσιν οὐδ' ἀποδέχεται· περιστάντας δὲ αὐτῷ τὰ δόξαντα ἐξ ἐμπειρίας, ὡς ἀκριβῶς εἰδὼς, καθάπερ τύραννος, αὐθαδῶς ὄρχεται ἀποπηδήσας πρὸς ἄλλον κάμνοντα οἰκέτην· καὶ ῥαστώνην οὕτω τῷ δεσπότῃ παρασκευάζει ϑῆ καμόντων τῆς ἐπιμελείας· ὁ δὲ ἐλεύθερος ὡς ἐπιτοπλεῖστον τὰ ϑῆ ἐλευθέρων νοσήματα θεραπεύει τε καὶ ἐπισκοπεῖ· καὶ ταῦτα, ἐξεταζων ἀπ' ἀρχῆς καὶ κατὰ φύσιν, τῷ κάμνοντι κοινούμενος — κ. τ. ε.

" ligis,

" ligis, quum *Servi & Liberi* in civitate
" ægrotent, *Servos à Servis plerumq; cu-*
" *rari ; qui & in Medicinis versantur ;*
" *& ultro citróque commeant, Medi-*
" *cinam factitantes ?* neque rationem
" ullam de singulis *Servorum* morbis aut
" reddunt aut accipiunt : sed, iis im-
" peratis, quæ usu & experientiâ profu-
" tura decreverunt, tanquam re benè
" perspectâ atque exploratâ, tyranno-
" rum in morem superbè & protervè
" discedunt *ab ægroto Servo ; & ad ali-*
" *um ejusdem conditionis Servum* con-
" volant : atque ita *Domino* ad curandos
" ægrotos facilem expeditámque ratio-
" nem parant ? *Liber autem medicus*
" *Liberorum ut plurimum morbos cu-*
" *rat atque considerat*, ita ut à princi-
" pio, morbi naturam perquirat, com-
" munitérque cum ægroto & ejus ami-
" cis versetur."——Hos igitur ἀρχιατρο
νικὰς, & πεπαιδευμένους ; illos δημιουργικὰς
ἰατροὺς Aristoteles (x) appellat. Ergo

(x) Aristot. De Republ. III. 11.

Servi

Servi medici quales *apud Græcos* fuere cognoscimus: neque reliquorum ideo *servilem aut ignobilem*; sed nobilem nihilominus, & honestam (y) fuisse conditionem fatscimus.

Quid? demonstravit igitur Middletonus nullam hujusmodi Medicorum distinctionem apud Romanos obtinuisse? Nempe à Medicis nobilioribus *Servos* & *Libertos* (z) *Medicos appellatos*, ad Medi-

(y) Plato de Republ. III. p. 405. Δικαιον τε ἡ ἰατρικὴ συνεπιστασθαι ἕκαστον ὅστις ἂν ἢ ἐλευθερου φυσεως πλειστον ἐπὶ τῇ τεχνῃ χρονον διατριβων, καὶ ἐπὶ τοῖς ἄλλοις ἐθελειν ἂν μανθανειν μαλιστα, καὶ ὁ ἀρχων ἱκανὸς ἐπιτρεπειν τοῖς ἐλευθεροις τὴν ἰατρικὴν ἐπιτηδευειν μαλλον ἢ τοῖς δουλοις τε καὶ ἀνελευθεροις. Ἡ οὐκ ἐννοεῖς ὅτι ἐν τοῖς ἀγωσι τοῖς γυμνικοῖς ὁ ἐλευθερος ἐλαχιστον ἐπιτιθεται καὶ ἐλαχιστον ὑπομενει, ἐὰν δὲ ἀναγκασθῃ, ἀλλ' ὅμως ἐπὶ πολυ ἀντεχει καὶ οὐκ ἐγκαταλειπει τὴν ῥωμην, ἀλλ' ἐν βραχει πανταχου ἱκανος ἐστι τὸν ἐλευθερον ἀγωνιστην ἐπιδειξασθαι.

(z) Etenim Medici cum olim (quemadmodum olim in Græcia) *Servos* & *Libertos Medicos* fuisse indicant auctores: —— Cicer. pro Cluent. 63. "Sassia emit de *Rupilio Medico* Strategiam quendam, —— ei extendæ & Medicinæ causâ, *Tabernam* dedit" —— post pauca: "Strato ille *Medicus Cognitor* decumentus obiit." Id. ibid. Cleophanti *Medici servum* Diogenem, ad *vendendum* Avito cuidam ægrotanti *Medicum* ipse & pretio sollicitatum esse narrat (nempe Domino ejus Cleophanto Medico utebatur Avitus.) Patronius Antiochus Medicus, ut auctor est Scribonius Largus, medicamentum quoddam, cujus compositionem incognitam esse voluit, ipse cluso componebat, ipse illi *famulus*, (i. e. Servorum Medicorum) celabatur. Idem Scribonius narrat, se ab Atimeto Cassii Medici *Servo*, eodemque Tiberii Cæsaris Legato, *compositionem* quandam accepisse. Julianus in Pandectis: *Medici*, ait, plerumque SERVOS EJUSDEM ARTIS LIBERTOS perducunt, l. 25. ff. de Op. Libert. Neque mirum

Medicinæ ſerviles operas adhiberi non ſolere? Demonſtravit ille, publicos aut communes Medicinæ *Profeſſores* à Medicis iſtis *Servilibus* non diſtingui, qui vel in *Medicinis* atque *Tabernis* artem quandam factitare; vel in *Valetudinario*, aut in *privatâ divitis alicujus* (*a*) *Domo*, ſervorum curam habere memorantur? Nihil enim horum ei quiſquam, opi-

---

mirum cuiquam videri debet, ſi Servorum iſtiuſmodi *magnus fuerit numerus.* quoniam veterum illa Medicina ab hac noſtrâ in eo maximè diverſa fuit; quod multo plura habuerit morborum *omnium* remedia, quorum *externus uſus* erat, & *manuum miniſterio adhibendus:* Acopa, malagmata, cataplaſmata, epipaſmata, ſmegmata, dropaces, fricționes, cucurbitularum frequentes appoſitiones, ſcarificationes, & alia ſexcenta: ut vel ex unius *Celii Aureliani* libris patet, ubi iſta plenè tractantur. His ergo adhibendis neceſſe fuit, complures eſſe Medicorum Miniſtros, Servos atque Chirurgos Medicos. (δημιεργοὺς ἰατρούς.) ex quibus nonnulli fortaſſe, ſi ingenium ſtudio literarum excoluiſſent, ad Medicinæ Clinicæ Profeſſionem aſpirare ſolebant.

(*a*) Galen. de cur. rat. per V. S. ὁ τῆς οἰκείας τῆς πλουσίου περιστάμενος ἰατρός. ——— Senec. *de conſt. Sap.* Ut fere *Domeſtici* & *Familiares* Medici, non qua optimum eſt, medentur; ſed qua *licet.* Ibidem: Regis non magis invidendum, ait, eſſe ſtatum; quam ejus, cui *in magnâ Familiâ* cura obtigit, *ægros* inſanoſque compeſcere. Varro de R. R. I. 16. Coloni potius vicinos habent, quibus imperent *Medicos*, Fullones, Fabros; quàm in villa *ſuos* habeant: *quod nonnunquam unius artificis mors tollit fundi fructum.*

nor, sinè aliquâ demonstratione concessurus est; tamen ille omnia sumit profectò, quasi certa & concessa. Adeò Medicos *universos* simul pessundat; neque modò illam, quam Plinius (*b*) Medicorum *Turbam* nominat, sed illos ipsos *Proceres* artis, quósque appellat Cicero Medicos *nobilissimos*, cum Servis *ipsis suis* Serviles atque ignobiles omnes unà fuisse, efficit. Sic omnino visum est homini literato, *ambiguo* illo *Medici* nomine abuti; quo in *Medicos Clinicos* omnia quæcunque voluit, commentari, sive detorquere potius ipsi liceret.—— Ergo ad nihilum tandem recidit argumentatio omnis ista tam præclara, quam *ipsos Medicinæ Professores ne quidem attingere*, "SUSPICARI FAS EST."

Sed ostendit utique præterea vir doctissimus, nos pauca admodum, vel de Medicorum apud Romanos statu, vel de *Pro-*

(*b*) Vid. N. H. l. 29. c. 1. p. 497. Ed. Harduin. "Recem & insciti am ejus Turbæ:" —— paulo postea —— "Proceres artis" his omnino opponit.

fessoribus

ſeſſoribus (*c*) iſtis artis ejus cognita habere: Hoc enim probant reliqua ejus argumenta. Id quod verum eſſe facile concedimus. —— Quid verò dicetis, ſi ex paucis iis nonnulla cum hâc ignobilitatis, ſervilitatiſque fabulâ vix ſatis congruant? Velut id quod de Aſclepiade Medico memoriæ proditum eſt. Hunc cùm ad ſe invitaret Mithridates Rex magnus, idémque artis medicæ Fautor ſummus; dicitur hicce (*d*) legatos atque pollicitationes regias planè *ſpreviſſe*. —— Scilicet

(*c*) *Profeſſores Medicinæ* à veteribus proprie nominati videntur ii, quos *Doctores* hodie vocamus; nempe qui, ut ait Medicus ille Romanus *Scribonius Largus*, " *Sacramento* " *Medicinæ legitimè ſunt obligati*": Neque hi è *Servorum* numero fuere; quoniam OMNES Medicinam *Profeſſos* à Julio Cæſare *civitate* donatos fuiſſe legimus: quod beneficium in *Servos* conferri nullo modo poterat. Quinetiam illa *Profeſſio*, unde nomen habuiſſe videntur; apud Prætorem, opinor, aliumve magiſtratum *publice* facta erat: ab iis ſcilicet, qui ex hujuſmodi lege jus ſuum omnino conſequi vellent. Ergo ſcribit Calliſtratus, l. 5. §. 7. ff. de Jur. Immunit. Si quis ad munera vocatus eſt, ANTE-" QUAM PUBLICE PROFITERETUR; " compellatur ad ea gerenda." *Profeſſionem* etiam *iſtiuſmodi* ad Civitatem legitimè conſequendam, apud Prætorem fieri memorat Cicero *pro Arch. Poet.*

(*d*) Vid. Plin. N. H. VII. c. 37. §. 37. & Lib. XXV. c. 2. §. 3. Edit. Harduin.

homo philoſophiæ deditus, *intra ignobilitatem, humilitatemque ſuam ſe continere* Romæ maluit! —— Quin ſectam ejus quæritis, *Cynicuſne an Stoicus* fuerit? Imò verò *Epicuri* ſectator; tum autem homo plus ſatis ambitioſus. Quæ quidem inter ſe nullo modo cohærere videntur. certè feſtivam aliquam ignobilitatis ſpeciem indicant, quæ ab homine ambitioſo tanti æſtimaretur.

Quinetiam Chariclem illum Medicum, ut ab Imperatore Tiberio acceptum eſſe legimus? " Charicles," ait Cornelius Tacitus, (*e*) " Medicus erat arte inſignis, " non quidem regere valetudines Princi- " pis ſolitus, conſilii tamen copiam præ- " bere: Is velut ad propria negotia *di-* " *grediens*, & per ſpeciem officii ma- " num complexus, pulſum venarum atti- " git. Tiberius inſtaurari epulas jubet, " (*f*) remanere eum & recumbere *hor-*

(*e*) Lib. VI. Annal. cap. 50.
(*f*) Sueton. in Tiber. 72.

" *tatus*

" *tatus* est, discumbitque ultra solitum ;
" quasi HONORI ABEUNTIS AMICI
" tribueret :" Sic honorificè acceptus est ab Imperatore Romano vir istius Professionis, quam apud Romanos *contemptissimam, & nullo loco aut honore habitam* esse confingit Middletonus.

Itaque ratiocinationis ejus vim omnem vidistis ; de quâ quidem sentiat quisque, prout libuerit. ego certè neminem unquam cognovi, qui majore eruditione & elegantiâ nihil diceret.

Sed ipsas *res & auctoritates nonnullas* jam expendamus, quæ à viro doctissimo ad Sententiam suam tuendam adductæ sunt ; Ex his enim istæ, quas manifestò *falsas* esse deprehendimus, à nobis suprà, loco suo positæ non sunt : has igitur deinceps examinabimus.

" *Artem Medicam*, (g) ait ille, *ut*
" *mihi videtur, vix unquam inter libe-*
" *rales censeri reperio.*" —— Veruntamen

(g) Diss. p. 9. lin. 23.

men

men eam non modò liberalem artem, ſed ex omnibus *liberaliſſimam* eſſe, apud *Senecam* (*b*) legere potuiſſet: cujus hæc ſunt verba: " Artes pleræque, imò ex " omnibus *liberaliſſimæ*. . . . ſicut *Medi-* " *cina*." — In hanc etiam ſententiam *Aulus Gellius*: (*i*) " *Exiſtimavi*, ait, *non* " *Medico ſoli, ſed omnibus quoque homini-* " *bus liberis & liberaliter inſtitutis*." — Sed omnium pleniſſimè *Plutarchus*, ſcriptor gravis imprimis, & eruditus: (*k*) " *Medicina ſic eſt*, ait ille, *de nu-* " *mero liberalium artium*; ut POLI- " TIE, SPLENDORE, JUCUN- " DITATE NULLA SIT IN- " FERIOR." Quid? anne cuivis homini jam dubium eſſe poteſt, quin in *artium liberalium* numero fuerit Ars Medica? —— Certè adverſus *Plutarchum* quoque ſcribere debebit diſſertati-

(*b*) Epiſt. 95.
(*i*) N. Att. xviii. 10.
(*k*) Τῶν ἐλευθερίων ἢ τεχνῶν ἰατρικὴ τὸ μὲν χλαρὸν καὶ πικρὸν καὶ ἐπιληπτὲς, ἀδημίας ἐνδεέστερον ἔχει. Lib. de tuend. valet. p. 213. V. 1. ed. H. Steph. Gr.

onis

onis auctor eruditus; Neque enim adversarii ipsius celeberrimi, *Causabonus*, *Sponius*, aut *Medus* quicquam magis illustre de arte medica prædicaverunt.

Verùm, ait Middletonus, (*l*) " *Artem* " *Medicam apud Jurisperitos à studiis* " *liberalibus* SEMPER distingui repe- " rio." Sanè vir optimus apud antiquos scriptores illa sola reperire videtur, quæ pro suâ sententia faciant : Ego verò in Pandectis hanc legem invenio ; (*m*) " Ma- " gistris, qui civilium munerum vacatio- " nem habent, item *Grammaticis*, & " *Oratoribus*, & *Medicis*, & *Philoso-* " *phis*, ne hospitem reciperent, à Prin- " cipibus fuisse immunitatem indultam, " D. Vespasianus & D. Hadrianus re- " scripserunt :" Quæ lex paulo postea his verbis concepta legitur : (*n*) " Re- " cipiendi hospitis necessitas, & militi,

(*l*) Diss. p. 9. lin. 24.

(*m*) l. 18. §. 30. ff. de mun. & hon.

(*n*) l. Ab his oner. §. 2. ff. de vac. & excus. mun. *Conf. etiam, l. 4. Cod. de Profess. & Med. & l. 6. §. 2. & seqq. ff. de excusat.*

" &

" & *liberalium artium Profeſſoribus*, " inter cætera remiſſa ſunt."—— Videat ergo Middletonus quomodo hæc interpretetur. Verùm ipſius opinionem ſatis refutare poteſt vel Sanctionis Pragmaticæ auctoritas, ubi in eandem ſententiam hæc reperiuntur: (o) " Annonas, quæ *Gram-* " *maticis* ac *Oratoribus*, vel etiam *Me-* " *dicis* & *Juriſperitis* antea dari ſoli- " tum erat, & in poſterum, ſuam ſcilicet " profeſſionem exercentibus erogari præ- " cipimus, quatenus juvenes *liberali-* " *bus ſtudiis* eruditi, per noſtram Rem- " publicam floreant."

At auctore Plinio Middletonus affirmat: (p) " *Romanâ gravitate* IN- " DIGNAM *judicatam fuiſſe Ar-* " *tem Medicam.*" —— Id autem, etſi ex Plinii libris revera petitum eſſet teſtimonium; tamen adverſus medicos parùm, aut nihil omnino efficeret: utpote

(o) Conſt. Pragmat. Juſtinian. cap. 22.
(p) Diſſ. p. 8. lin. 17.

ab

ab aperto professionis istius *adversario* sumptum.——At verò apud Plinium ista verba minimè reperietis. Paucos is quidem ex Romanis attigisse medicinam; non autem propter *indignitatem artis medicæ*; sed propter auctoritatem, quam apud Romanos habebant in medicinâ professores *Græci*, id indicat evenisse. Eaque de causâ suos etiam graviter increpat; quòd illa, quæ saluti suæ opus essent, *ipsi* negligerent; tum quòd *exterorum* hominum ingeniis ita facilè crederent. (q) " *Ingeniorum*, ait ille, *Græciæ flatu impellimur. Palámque est, ut inter eos* " *quisque loquendo polleat, imperatorem illico vitæ nostræ necisque fieri.*" Non igitur *parvam*, sed omnino *nimiam* (r) Medicorum istorum apud Ro-

D manos

(q) L. xxix. §. 5.

(r) " Paremus *externis*, & unâ artium *(medicinâ) Imperatoribus nostris imperaverunt.*" N. H. l. xxiv. c. 1. §. 1. *ed. Harduin.* Idem lib. xxx. §. 1. " *Magices* auctoritatem " fuisse nemo miretur. quandoquidem —— tres alias *artes imperiosissimas* complexa, in unam se redigit; *Medicinam*,

manos existimationem fuisse ostendit: idque etiam palàm *conqueritur*. Neque ratio non evidens est, quare in *Græcorum ingenia* libenter inveheretur vir optimus. quippe libros istos suos medicinales linguâ communi tum proferebat, omnium generum remediis, tanquam anicularum commentationes, mirè refertos; bonis, malis; efficacibus, inertissimis; *sinè judicio aut delectu* positis. Hanc *talem* medicinam cum civibus suis præscriberet *magnus ille Doctator (f) atque salutis humanæ judex*; mirum ni Græcam medicinam, & eruditissimos quosque medicos, *apud Romanos tam temporis maximè gratiosos*, invidiosè vituperandos esse putarit. ——Aliis autem auctoribus didicimus, *ingenuos homines*, ut artis oratoriæ

" *dicinam*, Religionis vires, artes Mathematicas. ——
" Ita possessis hominum sensibus triplici vinculo, in tan-
" tum fastigii adolevit; ut hodieque etiam in magna parte
" gentium prævaleat, & in oriente Regum Regibus im-
" peret.

(f) " Nos ille Romana gravitate, artiumque libera-
" lium oppetentia, non ut medici, sed ut *judices salutis*
" *humanæ*, diligentes distinguemus." Plin. N. H. initio lib. 29.

&

& philoſophiæ, ſic *medicinæ* quoque ſtudium operâ ſuâ non omnino *indignum* judicaſſe. quâ de re extat illa apud Quintilianum (*s*) quæſtio: " Qui tres liberos " habuit, Oratorem, Philoſophum & Me- " dicum, teſtamento *quatuor* partes fe- " cit, & ſingulis dedit: *unam* ejus eſſe " voluit, *qui eſſet utiliſſimus civitati.*" unde orta eſt controverſia. Ponit igitur Quintilianus Oratorem, Philoſophum, Medicum; tum *ex eadem ſtirpe*; tum *paris omnino exiſtimationis & utilitatis*. ——*Verique ſimile eſt*, ut *oratoriæ*, ſic etiam *artis medicæ* ſtudioſos, quo civibus ſuis *Græcam* eruditionem admirantibus gratiores eſſent, ad artem iſtam diſcendam, *peregrinationem* facere ſolitos. quod, quaſi commune tam medicorum, quàm oratorum inſtitutum, reſpicere videtur Seneca, ubi ſcribit in quadam Epiſtolâ: (*t*) *Peregrinationem non facere* medi-

(*s*) Inſt. Orator. lib. vii.

(*t*) Senec. Ep. 104. Ut artis oratoriæ, ſic etiam medicinæ celebres admodum ſcholæ tum apud Græcos extiterunt.

"*medicum, nav oratorem.*" Neque mirum videri debet, ſi ab ingenuis hominibus multo ſtudio & labore conquiſita fuerit hæc ſcientia, quam inter illas *artes, quibus liberales doctrinæ atque ingenuæ contineantur*, haud *infimum* gradum tenuiſſe, ex Plutarcho ſuprà demonſtravimus.

At verba Ciceronis etiam adverſus Medicos affert vir literatus: Hic enim ad Marcum filium de quæſtibus variis ſententiam ſuam exponens, (*u*) cùm ſordida atque illiberalia enumeraſſet illorum genera; deinceps de iis, quos *viris ho-*

---

terunt. ex illarum numero fuit Alexandria, ut indicat Plutarchus in vita M. Antonii, ubi *medicum*, filii ipſius Antonii familiarem Philotam, Alexandriæ ſtudiorum cauſâ fuiſſe commemorat.

(*u*) De Offic. lib. 1. c. 42. —— Ex Græci Philoſophi libris fere expreſſus locus, qui ſummatim iſta in hunc modum concludit: Εισὶ δὲ τεχνικαὶ μὲν αἱ βάναυσοι, ὅπου ἐλαχίστου τύχης βαναυσόλαι δὲ, ἐν αἷς τὰ σώμαλα λυκῶνται μάλισλα· δουλικαὶ δὲ, ὅπου τοῦ σώμαλος πλεῖσται χρήσεις· ἀγυιαὶ δὲ, ὅπου ἐλάχισλον σχολῆς ἀρεταῖς. I. de Republ. —— Hæc fere de *operum* generibus. quod quidem aliquâ ex parte Tullius attingit; magis autem de univerſâ re *quæſtuariâ* hîc loqui videtur.

neſtis convenire arbitrabatur, ſic ſtatuit: *Primum omnino locum his tribuit, quos quiſque ex agrorum ſuorum culturâ conficeret*: Et, verum ſi loquamur, ex iſtiuſmodi ſanè poſſeſſionibus qui comparantur quæſtus, non modò apud Romanos, ſed apud omnes fere gentes habentur honeſtiſſimi: etenim prædiorum fructibus iſtis, ut Conſules olim atque Dictatores; ſic hodie ingenuorum pars longè maxima ſuſtentatur. *Poſt hos autem*, ait ille, *mercaturæ magnæ & copioſæ quidem, non vituperandum eſſe quæſtum. porrò honeſtum eſſe ex medicinâ, architecturâ, doctrinâ rerum honeſtarum*; ſi non Conſulibus atque Dictatoribus, ſaltem *iis quorum ordini profeſſiones iſtæ conveniant.* ——Jam accipite mirificam interpretationem: *Ergo*, ait Middletonus, (*v*) "*medicinæ ſtudium agnoſcit Cicero Servorum ORDINI honeſtum eſſe.*"—— O præclarum ordinem! Salvete omnes

(*v*) Vid. Diſſ. p. 8.

Davi,

Davi, Syri, Stichi, Parmenones! novi honeſtorum (x) ordines! de quibus ego nunquam antehac ne fando quidem audiverim. ——Cogitemus tamen quibus *artis medicæ* temporibus iſta à Cicerone dicta fuerint. *Omnes* medicinæ profeſſores à Cæſare Dictatore, civitate donatos fuiſſe ſcitis; Deinde poſt iſtius necem, ad Marcum filium Athenis commorantem hæc à Cicerone conſcripta fuiſſe, conſtat. Dicit igitur Cicero, Middletono quidem interprete: " *Servis* honeſtam illam artem " eſſe, quam qui profiterentur, *jamdu-* " *dum eſſent omnes civitate donati.*" An id vobis probabile videtur? ——Quid

(x) Ex Aſconio Pediano diſcimus, Servorum & Libertinorum, non *ordinem*, ſed *conditionem* dici ſolere. Vocem iſtam, ORDINEM, de Libertinis uſurpat alicubi Cicero, nempe more ſuo gratioſè loquens. in quem locum extat hæc Aſconii Pediani commentatio: " Quia *or-* " *dinem* dixit, equitum Romanorum ordinem dici qui- " dam putant. ſed libertinos ſignificat: quorum non *con-* " *ditionem*, ſed more ſuo, *quaſi honeſtorum*, ORDINEM " vocat." Item Paulus Manutius: " Nomen *Ordo*, ait, " honeſtatem quandam ſignificat." Ergo ubi in Offic. II. 24. id nomen habetur, ſcribit Aldus Manutius: " Ne " videretur de humilibus tantum loqui, addidit *ordine*, " quia nobilius eſt *ordo*, quàm genus."

verò,

verò, ſi ſcripſiſſet alicubi Cicero, " Quæ-
" ſturam vel Ædilitatem (*primos videlicet*
" *atque inferiores honorum gradus*) iis,
" *quorum dignitati convenirent*, honeſtiſ-
" ſimos eſſe:" Anne ferretis hominem iſta de *Servis* interpretantem? At verò *Servis* non magis licebat eſſe *Cives Romanos*; quàm eſſe *Quæſtores*, aut *Aediles*. ——Adeò abſurdam interpretationem concinnat vir doctiſſimus; cùm præjudicatam illam ſuam de *Servis* medicis opinionem, vult omni ratione defendere.

Quod ſupereſt, magis etiam mirificum. Cùm enim apud Suetonium (*y*) memoriæ proditum ſit: Imperatorem Auguſtum in annonæ caritate, " *Peregrinos omnes*,
" *exceptis medicis* & preceptoribus; &
" partem quoque ſervitiorum urbe expu-
" liſſe:" Videte, quæſo, quam iniquè converterit iſta vir optimus: —— " Auguſtus,
" ait Middletonus, (*z*) magnâ quadam an-

(*y*) In Aug. c. 42.
(*z*) Diſſ. p. 10.

" nonæ

" nonæ caritate, *Servitiorum partem,* " *exceptis medicis* & præceptoribus, ex " urbe expuliſſe, *à Suetonio* dicitur."—— Sic ille eodem tempore *negligenter* & *appoſitè*, *incogitanter* & *verſutè* deſcripſit *Suetonii* verba. —— Sed

Adeone videmur illi eſſe idonei
In quibus ſic illudat?

Omnino plura de his diſputare non eſt neceſſe. neque enim dubium eſt, quin tutò contemni poſſint hujuſmodi contra medicos auctoritates. Quippe graviora afferre oportebit argumenta, ſi quidem perſuadere nobis velit, artis medicæ profeſſionem (*a*) "*illiberalem & ſordidam*" apud Romanos habitam fuiſſe; tum "*de-*" *decus & infamiam*" (*b*) hominibus tunc attuliſſe, atque "*exiſtimationi ci-*" *vis Romani* (*c*) *planè nocuiſſe.*"

(*a*) Diſſ. p. 9.
(*b*) Diſſ. p. 22.
(*c*) Diſſ. p. 27.

Reli-

Reliquam autem dissertationis partem, quâ *contrarias virorum eruditissimorum sententias* oppugnat, in præsentia non attingo. quandoquidem etiam illa Causaboni, Sponiique scripta, quibus adversatur, me nunquam legisse fateor.

Verùm, quo plenius intelligatis, quàm imprudenter sese talium virorum auctoritati in his rebus opponat; unum hoc *sive insciticæ, sive negligentiæ argumentum* minimè prætereundum duxi, quod ex illo loco petitum est, ubi " *Medum planè labi*" (*d*) fidenter affirmat. Scilicet illi contradicens, persuadere nobis vult Middletonus undique doctissimus, " *Chirur-*
" *gos* (*e*) *à cæteris medicis apud veteres*
" *Romanos minimè distingui aut segre-*
" *gari; utrasque simul medicinæ partes*
" (*f*) *ab eodem homine* SEMPER
" *exerceri; & non nisi Imperatorum*

(*d*) Diss. p. 4.
(*e*) Diss. p. 23.
(*f*) Ibid. lin. 28.

" *temporibus* (g) *illam medicinæ par-*
" *tem, quæ manu medetur, ab aliis*
" *fuiſſe ſeparatam.*" Auctoritatum igitur eruditam ſanè copiam profert, (*h*) ab Homero & Æſculapio rem totam repetens.——dein teſtes appellat Sextum Empiricum, Celſum, Plinium, Plutarchum, Ciceronem & Cæſarem ; —— addit inſuper è recentioribus doctiſſimos viros. ex quibus Mercurialis, " *omnes priſcos Me-*
" *dicos fuiſſe etiam Chirurgos agnoſcit.*" Et Menagius magis expreſsè : " *Poſtre-*
" *mis temporibus*, inquit, *illam medi-*
" *cinæ partem, quæ manu medetur, ab*
" *aliis homines ſejunxerunt. quando fa-*
" *ctum fuerit hoc diſſidium, dixerit ali-*
" *us, non ego. certè poſt Antonini tem-*
" *pora.*" —— Verùm fruſtra collocatur hæc omnis literatura. —— At contra. videte quoties *Chirurgorum* appellatio propria apud veteres ſcriptores occur-

(g) Diſſ. p. 24.
(*h*) Diſſ. p. 23, 24, 25.

rat.

rat. —— Cornelius Celſus, V. 28. " Eas " . . . . . ſe reperiſſe, *Chirurgus* Meges " auctor eſt." Id. VI. 7. " Ptolomæi " *Chirurgi* medicamentum." Id. VII. 11. " Id autem vitium, ... ſi medica- " mentis non cederet, quemadmodum " *manu* curandum eſſet, apud magnos " *Chirurgos* non reperi." —— Scribonius Largus, c. 68. " Itaque quamvis ad " *Diæteticos* pertinentes compoſitiones " exhibuerimus; tamen claudicat & va- " cillat hic Liber, niſi eas quoque, quæ ad " *Chirurgos* pertinent, poſuerimus. quarum " initium ab Emplaſtris faciemus" Id. c. 69. " Emplaſtrum Tryphonis *Chirurgi*." Id. c. 70. " Emplaſtrum Megetis *Chi-* " *rurgi*." Id. c. 72. " Emplaſtrum Tra- " ſeæ *Chirurgi*." Id. c. 79. " Empla- " ſtrum Ariſti *Chirurgi*" Id. c. 82. " Emplaſtrum Dionyſii *Chirurgi*." Id. c. 85. " Emplaſtrum Euelpiſti *Chirur-* " *gi*." —— Plin. H. N. XXIX. 1. " Al- " con *vulnerum medicus*." Ibid. " Ar- " chagathus *vulnerarius*." —— Sext.

Pyrrhon. I. 14. §. 84. " Soteſichus *Chi-*
" *rurgus.*" —— Soranus, ſive Cæl. Au-
relian. T. II. 12. " In cicatricem vul-
" nera fecerit convenire, ut omnes ap-
" probant *Chirurgi.*" Et poſt pauca:
" *Diætetici* de hæmoptyicis ſcripſerunt,
" *Chirurgi* verò in chirurgumenis memo-
" rare non auſi ſunt." Id. T. III. 8. "So-
" crates *Chirurgus* omni ex parte divi-
" ſuras faciens, eaſdem aduſſit." —— Plu-
tarchus, libro de amore fraterno: (*i*)
" *Ex medicis ii, qui diæta curant,*
" *Chirurgis* non admodum invident."

Quinetiam *Chirurgos* ad Medicis *Cli-*
nici nomen, tanquam ad altiorem ali-

(*i*) P. 863. Ed. Steph. Τῶν ἰατρῶν, οἱ περὶ δίαιταν, τοῖς χειρουργοῖς ὑ πάνυ φθονοῦσιν. Idem, libro de adulatore: Οὐ γὰρ φιλικὸν, ἀλλὰ σοφιστικὸν, ἀλλοτρίοις ἐνευδοκιμεῖν σφάλμασι, καλλωπιζόμενον πρὸς τὰς πάρεδρας· ὥσπερ οἱ χειρουργοῦντες ἐν τοῖς θεάτροις ἰατροὶ πρὸς ἐργολαβίαν. " Neque enim amicum eſt, ſed ſo-
" phiſticum, ex alienis erratis ſibi parare gloriam & apud
" eos, qui adſunt, ſeſe jactare. quemadmodum ſolent me-
" dici, quos chirurgos vocant, in theatris oſtentantes
" quos morbos ſuſceperint curandos." *Verſ. Eraſmi Ro-*
terod. —— Curationes in medicinis (ἰατρείοις) publicè exhibitas eſſe, memorat, ni fallor, Chryſoſtomus. quod hic fortaſſe ſignificat Plutarchus.

quem

quem gradum aſpirare ſolere, diſcimus ex illo vulgari Martialis epigrammate:

Chirurgus fuerat, nunc eſt Veſpillo Diaulus;
Cœpit, quo potuit, Clinicus eſſe, modo.

Huc addi denique poteſt id Galeni (*k*) teſtimonium, ubi de hac artis medicæ partitione locutus eſt, non ut recens ſuo tempore natâ; ſed ut uſitatâ & communi civitatis conſuetudine: "*Cum Romæ*, "ait, *plurimùm agerem, civitatis MO-* "*REM ſum ſecutus, permiſſâ iis,* "*quos CHIRURGOS vocant, maxi-* "*mâ ejuſmodi operum parte.*"

Verùm *his* omnino non eſt opus ad Middletoni ſententiam refellendam. Illam enim evertit planè Cornelius Celſus, teſtis omni exceptione major. cujus verba hic apponam: (*l*) "Tertiam eſſe me- "dicinæ partem, quæ manu curet, & vul- "go notum, & à me propoſitum eſt.

(*k*) Meth. medend. l. 7.
(*l*) Lib. VII. Præf.

"Hæc

" . . . . . Hæc autem pars, cùm ſit
" vetuſtiſſima, magis tamen ab illo pa-
" rente omnis medicinæ Hippocrate, quàm
" à prioribus exculta eſt. Deinde, po-
" ſtea quam *diducta ab aliis, habere*
" *Profeſſores ſuos cæpit*, in Ægypto quo-
" que increvit, Philoxeno maximè au-
" ctore, qui pluribus voluminibus hanc
" partem diligentiſſimè comprehendit.
" Gorgias quoque, & Soſtratus, & He-
" rones & Apollonii duo, & Ammo-
" nius Alexandrinus, multique alii cele-
" bres viri, ſinguli quædam repererunt.
" Ac *Romæ* quoque non mediocres pro-
" feſſores, maximeque nuper *Tryphon*
" pater, & *Euelpiſtus* Phlegetis filius,
" &, ut ex ſcriptis ejus intelligi poteſt,
" *horum* eruditiſſimus *Meges*, quibuſ-
" dam in melius mutatis, aliquantum ei
" diſciplinæ adjecerunt. Eſſe autem *Chi-*
" *rurgus* debet adoleſcens, *&c.*" Et pau-
lò infrà : " Curationes, quas alibi ex-
" ecutus ſum, *Chirurgi ſibi vendicant :*"
Ergo patet, *Chirurgicam* artis mediçæ
partem

partem ab aliis longè ante Celsi tempora diductam, in Ægypto professores suos habere cœpisse; tum hanc consuetudinem apud Romanos receptam fuisse.

Quid multa? cùm vel ipse Cicero verba satis aperta posuerit, unde perspicere quivis facile potest, hanc admodum antiquam fuisse apud Romanos artis medicæ partitionem; neque, ut Middletonus opinatur, posterioribus Imperii Romani temporibus modò, sed etiam ante Cæsarum dominatum (*m*) obtinuisse. Hæc apud eum Crassus: " Non in hâc " inquit una, Catule, re, sed in aliis " etiam compluribus, distributione parti- " um ac separatione, *magnitudines sunt* " *artium diminutæ.* An tu existimas, " cum esset Hippocrates ille Cous, *fuisse* " *tum* alios medicos, qui morbis; alios, " qui vulneribus; alios, qui oculis me- " derentur?" —— Ergo in hâc re *planè*

(*m*) De Orator. III. 33.—— Ista à Cicerone conscripta sunt septem circiter annis ante pugnam Pharsalicam. At qui loquitur L. Crassus annis quadraginta ante Cæsaris dominatum supremam diem obiit.

erraviſſe Middletonum, minimè dubium eſſe cuiquam poteſt.

Id autem quod ſequitur, quàm magnificè, tanquam ex oraculo, editur? "Quicquid verò, ait ille, de hac re ſtatuamus; *hoc unum CERTISSIMUM eſt*: Medicos & Chirurgos pari ſemper conditione & dignitate apud veteres Romanos extitiſſe: viderintque tandem ii, qui conſtantem doctorum fere omnium opinionem, tanquam (*n*) ridiculum commentum in opprobrium artis prolatum inſectantur; quàm *temere* ipſi, *nullo antiquitatis monumento, nullo auctore* muniti, in alios . . . . mera opprobria jaciant."—— Sed tamen id ipſum, quod, alios accuſans, ipſe *certiſſimum* eſſe ſtatuit, "*nullo antiquitatis monumento, nullo auctore*" confirmatum eſſe video.——Nimirum hoc illud eſt, quod dicit Satiricus:

Clodius accuſat machos; Catilina Cethegum!

(*n*) Vid. Sponii verba. *Diſſ. p.* 17.

Itaque

Itaque hæc omnia, quæ à nobis allata ſunt, ſiquis ritè perpendeat; facilè is videbit opinor, egregiæ iſtæ diſſertationi ſupereſſe verborum ornamenta & feſtivitates, deeſſe argumentorum vim & pondus; virúmque eruditiſſimum (quod pace ipſius dixerim) *veteres Romanos* maximæ imprudentiæ nimis inconſideratè inſimulâſſe.

Ergo medicinæ profeſſoribus, atque adeò veteribus Romanis tandem ampliatis; Causâ ſaltem uſque eò competendinatâ, donec actori literatiſſimo viſum fuerit plures atque locupletiores producere teſtes; nihil ſanè reliquum eſſe video; niſi ut veniam ipſe petam, qui hæc de ejus *opere* adeò liberè dixerim. Quæ quidem à me minimè diſputata ſunt, quod auctoris ipſius clariſſimi *perſonam* aut *eruditionem* in honore debito non habeam: hanc utique magnam eſſe credo: illam tám revereor, quam qui maximè: Sed tamen de hâc re, quæ ad medicam, fateor, ſcientiam magis propriè pertinere videtur,

illum & multa ſinè certa ratione opinatum eſſe, & nimio adverſus majores noſtros medicos ſtudio & *obtrectatione* ſcriptitaſſe, arbitror. Etenim, ut mihi videtur, artem medicam apud veteres Romanos fuiſſe " ſervilem, ignobilem, abjectam, ſordidam; nonniſi à mortali" um humillimis & infimis, ſervis Græcu" lis fugitivis, atque extremæ ſortis ho" minibus adminiſtratam; nullo loco aut " honore habitam; ſed illiberalem, & cive " prorſus indignam," revera NON LIQUET. Virum igitur decuiſſet, opinor, tam eruditum, vel ſententiam iſtam ſuam magis apertè confirmaſſe; vel certè medicorum cauſam magis *ſimpliciter & candidè* pertractaviſſe.

——Sin aliter ipſi viſum fuerit; " ver" bum non amplius addam": Quin teneat per me licet " *obſoleta illa*," ut rectè vocat, " *quorundam commenta, quæ ſæpius* " *confutata, doctorum plerique tanquam* " *vana & futilia jamdiu repudiaverunt.*"

MVSEVM BRITANNICVM

ERRATA.

PAG. 7. *lin.* 1. *lege:* eâsque à medicis libertis conduci solere; neque minùs, &c.

P. 11. *lege:* Professorem. P. 14. *pro* inscripsit. *lege:* scripsit. *ibid. in Not. lege:* honestiores.

P. 30. *Notand.* Id demum apud scriptores argentei, ut vocatur, Latinitatis seculi aliquando reperio. V. Columell. de R. R. Item Ulpian. l. 15. §. 2. ff. de us. fruct. —— Sit sanè apud Ciceronem etiam, quanquam id nunquam à me visum est, postras profectò rationes minimè mutabit.

Plinii locus omissus, ad p. 16. Not.

Ista Medicorum summorum atque servilium distinctio, pretii atque mercedis comparatione planè cernitur. —— de quibus Plinius: "Multos, ait, prætereo medicos; "CELEBERRIMOSQUE EX IIS," [quos omnes Servos *proculdubio* fuisse, Middletonus noster ait. *Diss. p.* 21.] "Cassios, Calpetanos, Arruntios, Albutios, Rubrios. "Ducena quinquagena H-S," [*quæ ad monetam nostram mediocriter æstimata, libras Anglicanas conficiunt mille ducentas; secundum nonnullos etiam, bis mille.*] "annuâ mer-"cede iis fuêre apud Principes. Q. verò Stertinius "imputavit Principibus, quod H-S. quingenis annuis" [2500, *vel* 3000 *lib. per ann.*] "contentus esset. Sexcena "enim" [3000, *vel* 4000 *lib. per ann.*] "sibi quæstu ur-"bis fuisse numeratis domibus ostendebat. Par & fratri "ejus merces à Claudio Cæsare infusa est: censûsque "(quanquam exhausti, operibus Neapoli exornatâ) hæredi H-S. $\overline{CCC}$ reliquêre." [150000, *vel* 200000 *libræ Anglican.*] "Crinas nuper centies H-S reliquit." [50000, *vel* 60000 *lib.*] —— Talia cum fuerint apud Romanos medicorum celebrium præmia; *pecuniam* atque gloriam, ut incitamenta *studii atque professionis illius*, non sinè causâ memorasse videtur Scribonius. *V. epist. ad Julium Callisium.*

Jam verò SERVIS MEDICIS utriusque sexûs, *communis* pretium lege Justiniani ad *solidos sexaginta* constitutum est. *l.* 3. *C. com. de legat. D. l.* 1. §. 5. *C. de com. Serv. manum.*

Quo uno argumento magnum aliquod inter medicos fuisse pretii discrimen, abundè demonstratur. Annon probabile sit, æquè magnam fuisse ordinis atque existimationis ipsorum differentiam, eruditis judicandum relinquimus.

BOOKS *printed for* J. NOON, *at the* White Hart *in* Cheapside; *near the* Poultry.

A Paraphraſe and Notes on the Epiſtle of St. *Paul* to the *Coloſſians*. With an Appendix upon *Epheſ.* iv. 8. Price 2 *s.*

A Paraphraſe and Notes on the Epiſtle of St. *Paul* to the *Philippians*. To which are added, Two Diſſertations, one on *Gal.* iv. 21. —— v. 1. The other on *Matth.* ii. 13, 14, 15. By the Author of the Paraphraſe and Notes on the Epiſtle to the *Coloſſians*. Price 3 *s.*

Mr. *Lowe*'s Latin Grammar: Being the ſhorteſt, plaineſt, fulleſt, and beſt contriv'd, as well for the Eaſe of Teachers, as for the rational and expeditious Improvement of Learners, of whatever Age, Capacities, or Attainments. Price bound 3 *s.* 6 *d.*

—— Grammars of the *French* and *Engliſh* Tongues. Price 2 *s.*

—— Complete Table of *Greek* Characters. Price 4 *d.*

—— Vocabulary *Latin* and *Engliſh*. Price 1 *s.* 6 *d.*

—— Sententia Pueriles *Latin* and *Engliſh*. Price 1 *s.* 6 *d.*

—— Proteſtant Family Piece: Or, A Picture of Popery. Price 2 *s.* 6 *d.*

Sermons on ſeveral Subjects, by the late Reverend and Learned Dr. *John Gale*. To which is prefix'd, An Account of his Life. In 4 *Vols.* Price bound 1 *l.*

A Defenſe of Human Liberty, in Anſwer to the Arguments which have been alleg'd againſt it; particularly to *Cato*'s Letters on that Subject. By *John Jackſon*, Rector of *Roſington*, in the County of *York*, and Prebendary of *Wherwell* in the County of *Southampton*. Price 3 *s.* 6 *d.*

A true Narrative of the Controverſy concerning the Doctrine of the Trinity; being a Reply to Doctor *Berriman*'s Hiſtorical Account. Wherein the Partiality and Miſrepreſentations of that Author are fully ſhown. By the Author of the Reply to Dr. *Waterland*'s Defenſes. Price 1 *s.* 6 *d.*

The Anatomy of the Human Body, with Thirty Four Copper Plates. By *W. Cheſelden*, Surgeon to St. *Thomas*'s Hoſpital, and Fellow of the Royal Society. The Third Edition. Price 5 *s.*